

c) At in his colligendis decimis, haud nimis adamussim a Pastoribus urgendum, ne avaritiae suspicionem in fidelibus ingerendo, religionem catholicam ipsis odiosam, et acatholicis contemptibilem reddant¹. Quantum, enim, pecuniae aviditas pastorale commaculet ministerium et, cum fidelium animo, et eorum quoque liberalitatem a Pastoribus avertat, adeo in comperto est ut illud recoluisse sit satis. Vae [iterum monuimus] paroeciae tanto commissa publicano, Pastori tanto infando vitio indulgenti vae! Caritas Christi urgeat nos semper! Omnia transeunt, Ipse solum in aeternum stat!

¹ Cfr. Concil. Baltim. III, n. 292, 293; Noldin, *Op. cit.* n. 704.

CAP. III.

DE QUIBUSDAM AD SPIRITUALEM PAROECIAE
ADMINISTRATIONEM MEDIIS AC ADIUMENTIS

Quum, praecedentibus capitibus, de mediis ad gratiam consequendam, itemque de duplici itinere percurrendo dixerimus, scilicet, de Sacramentis ac Dei et Ecclesiae praeceptis quanta proposito nostro opportuna erant tradiderimus, vix alia cuiquam videretur fusius disserendi occasio. At, quidem, prout divinae caritatis est, non modo promissa fideliter exsequi, sed super illa longe plura addere ac adiacere, ita ut alia plura christianae vitae in paroecia servandae rationes indigitemus, responsionis nostrae ratio postulat. Quae quidem haud minoris necessitatis aestimanda, quum si haec non adhibeantur, quae coeteroquin Pastoris officia sunt, vix illa necessaria obtineri possint, quum et visibilis Ecclesiae indoles illa sit ut, non modo Spiritus Sancti gratia interius adspirante, sed et hominum industria exterius adiuvente, fideles adolescant coram Domino et ad perfectae plenitudinem aetatis Christi adducantur. De hisce, igitur, exterioribus mediis adiumentisque adhuc disserere oportet, quae recte perpendentibus in directis ac indirectis dispescere opportunum censemus.

Articulus I.

DE MEDIIS DIRECTIS.

§ I — De verbi Dei dispensatione in genere.

SUMMAE RERUM. — 443. Tridentinae Synodi in re praeceptum. — 444. Quae huius muneris praestantia. — 445. De sacri oratoris remota ac proxima praeparatione. — 446. Pastoralium concionum materia quae. — 447. In dicendo quomodo se habere orator debeat. — 448. De eleemosynis inter concionandum quaeritandis. — 449. Quorum concionandi officium sit, et qui ad hoc adsciscendi. — 450. Quomodo concionatores habendi. — 451. Quando cooptandi sint.

443. — *Praecepto divino, mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini praedicatione pascere. Qui paroechiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo*

obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua et eorum capacitate, pascant salutaribus monitis; docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem: annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis, vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadant, et caelestem gloriam consequi valeant¹. Fides, enim, ex auditu, auditus autem per verbum Christi²; proinde viva ac firma conservari fides nequit, ubi divinum verbum assidue ac recta ratione non annuntiat. Quod, ut quanta alacritate et sollicitudine gravissimum praedicationis munus in omni patientia, et doctrina obeundum sit, sedulo a Pastore reputandum ne, tum in substantia, tum in forma, proprio deficiente muneri, non ad salutaria veritatis, sed ad venenata erroris pascua gregem suum deducat.

444. — Gravissimum sane et plane eximium sacri oratoris munus est. Eius, enim, si attendas originem, Prophetarum, Apostolorum, ipsiusque Christi vestigia premit; si finem consideras, Omnipotentis Dei gloriam animarumque provehit salutem; si res quas annuntiat spectes, divina pandit Mysteria. Si illos vero ad quos concionator loquitur consideras, animae immortales et Christi Sanguine redemptae vocem eius audiunt; si adversarios contra quos nitendum est exquiras, portae inferi validissimas obiciunt acies; si auxilia quibus iuvatur perscrutes, divinam implorat opem, Spiritus Sancti gratia, Christus ei praesto est; tandem si suorum laborum praemium spectes, qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates³.

445. — At munus gravissimum diligentissimam requirit praeparationem; cui, enim, validissimo cum hoste assidue committenda est pugna, assidue tela paranda. Haec, vero, praeparatio remota ac proxima distingui potest:

I. — Remota in lectione potissimum continetur. Sacram, igitur, Scripturam, praestantissimos eius interpretes, sacram liturgiam ac SS. Patres, [qui quam coelestem tam alte imbiberunt doctrinam, ubertate tanta, tantaque vi effundunt], praestantiorum etiam quibus Ecclesia abundat asce-tarum ac theologorum libros, ut copiose ac graviter ad populum facere verba Pastor possit, diurna nocturnaue manu verset. Haec, enim, salutaria sunt salutis pascua, aquarum in vitam aeternam salientium hiri sunt, quos si quis negligat, potiusquam ecclesiasticum oratorem, prophanum tribunum eum dixeris. Animarum, insuper, Pastoribus

¹ Trid. XXIII, 1; XXIV, 7 — Cfr. Barbosa, *De Parocho*, c. XIV.

² *Roman.* X, 17.

³ *Dan.* XII, 3.

Apostoli illud summopere commendatum velimus: *Timothee depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes, circa fidem exciderunt*¹. Quapropter inter dogmata ac opiniones probe discernant, et etiam in illis quae ab Ecclesia, conceptis verbis, definita non sunt, Ecclesiae tamen sensum ubi de illo constare videbitur, arctissime complecti satagant. Neque, tum solum si anathematis poena intentetur sententiam aliquam ecclesiastica auctoritate proscrip-tam et sibi adversandam ducant: maior, enim, quam in quolibet catholico, potissimum in Pastoribus iure, meritoque, animi promptitudo Ecclesia exigit. Eius, igitur, monitis obsequuti, ne sanam loquendi formulam violent summopere caveant: memoresque sint eorum, quae gravissime monet Augustinus: *Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia, etiam de rebus quae his significantur, impiam gignat opinionem*². Insuper et a communi, praestantiorum theologorum opinione nullomodo Pastores declinent. Cur, enim, nostris temporibus, modernismi lues fere ubique invaluerit, nisi quia communem theologorum doctrinam complurimi aut non novere, aut temere deserendam, ex *minimismi* placitis, duxere?

II. Praeparatio proxima singulis concionibus praemittenda est, ut ordinate recteque dicenda exhibeantur. Hi, enim, qui ex tempore verba fundunt, neque ex ordine, neque recte sermocinantur, quo confuse ac saepe haereticali ratione loquendo, potiusquam adiuventum, detrimentum fidelibus comparant. In sermonibus, igitur, concinnandis iustus adhibendus est labor ut talis esse possit oratio quae, iuxta D. Augustini monitum, *et doceat et delectet, et flectat*, quaeque adeo *intelligenter, obedienterque audiatur*³. In illa scripto tradendis sedula adhibenda diligentia, in eis ad memoriam mandandis, conspicua servanda est cura.

b) Quum vero, neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus, ut animarum Pastor fidelium mentes adeo illuminet, ut ad sua sequenda consilia Sanctus Spiritus eos trahat, ad Patrem luminum recurrendum est. — Insuper [meminerit Pastor bonus] *illa vox lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia tunc quod loquendo imperat, ostendendo adiuvat ut fiat*⁴.

446. — Quae Pastor populum docere debeat, SS. Tridentina Synodus indigitat, quae, nimirum, *scire omnibus necessaria sunt ad salutem, annuntiandoque vitia quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadant et caelestem gloriam consequi va-*

¹ I Timoth. VI, 20, 21.

³ *De Doctr. Christian.*, lib. IV c. 17.

² *De Civ. Dei* X, 23. — Cfr. des XIII,

⁴ S. Gregor. Magn. *Moral.* Id. XXIV, c. 5. encycl. *Nobilissime Gallorum gens*, cit.

leant¹. Mira sane verba, quibus, praesertim in homileticis suis sermonibus, qui *festis diebus omnibus in paroeciali sacro sunt habenda*², diligenter studere boni Pastoris est, ne in cassum aer verberando, non animas, sed muscas colligat. *Emendatio, enim, vitae, finis docendi esse debet*³. Idcirco:

a) Sanctae Fidei, nostraeque salutis Mysteria, SS. Sacramenta, Decalogi ac Ecclesiae praecepta, bonorum operum adimpletio, piarum ac genuinarum devotionum cultus, diversorum statuum obligationes et, praesertim, dominicalis Evangelii *facilis, viva, solida ac practica* explanatio quae ad christianae vitae observantiam efficacius conducere solent et ita porro, communia ac praeadamata pastoralium concionum argumenta sunt. Christus Crucifixus, Dei virtus et sapientia, sincera evangelii doctrina per catholicam Ecclesiam tradita, ea quae virtutis amorem, reverentiam erga sacra, pietatem in Deum, caritatem in proximum excitant, augent ac fovent, planis lucidisque verbis brevi facilique sermone enucleanda sunt. Sedulo, enim, cavendum, ne in verborum splendore ponatur praecipuum orationis pretium, ac ponderanda in primis indoles ingeniumque audientium, ad quorum animas lucrandas cuncta sunt componenda. Ut corrigantur errores, compescantur vitia, boni promoveantur mores, virtutes foveantur, omnesque christiani religionis suae consolationem habeant, hac, sane, verbi divini praedicatione opus est.

b) Nec solum haec omnia, sed tum ut morum praecepta firmiori nitantur fundamento, tum ut fideles omnes Fidei doctrina pleniores imbuantur et ab errorum contagione immunes serventur, dogmatum capita explananda quoque sunt. At ubi de refutandis agatur erroribus, ne in illis qui argumentorum vim minus perspicunt dubia moveantur, cautus Pastor sit. Tacitis, enim, erroribus [nisi sint vulgatissimi] Ecclesiam doctrinam ita exponere ut ad eos refellendos [si forte illi audierint] fideles ipsi muniti et instructi sint, plerumque praestat.

c) Attamen [uti in omnibus populo habendis concionibus] *apud rudem plebem difficiliore ac subtiliores quaestiones quae ad aedificationem non faciunt, et ex quibus, plerumque, nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta, item, et vel quae specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero quae ad*

¹ Trid. loc. cit.

² SS. D. N. Pius PP. X, encycl. *Acerbo nimis*, 15 april 1905.

³ Id. Ibid.

curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel [Pastores attendant quaeso] turpe lucrum sapiunt, tamquam scandala et fidelium offendicula, prohibeant.

447. — In dicendo:

a) nil immoderatum, nullum de se ac caussis propriis expostulandis, ulciscendi iniurias acceptas, laedendi vel exacerbandi studium sit. Atque et a caussis prophanis, cum paroecianis disputandis, a rixis iniuriisque omnibus prorsus abstineat Pastor ille qui hoc sanctum pastorale ministerium funditus perimere non intendit.

b) Cum dicendi genere, vivo, vario atque exemplis referto, prudentiam iungens:

I. quum de paucorum redarguendis moribus agatur, an non publicae reprehensionis, privata monitio praestet, diligenter Pastor perpendat.

II. Numquam vero singulorum scandala ita describat ut reticuisse nomen parum referat, quod perquam exitiosum esse persuasum Pastor habeat. Publicae, enim, in peccantes declamationes, eos, pro temporis ratione, magis exacerbare, quam ad salutem conferre solent, immo magnae inde lites difficultatesque enasci possunt.

III. Contentiones quae forte, inter ipsum et aliquos e paroecianis ortae sint, in Ecclesia ne attingat Parochus.

IV. Caveat, insuper, Pastor ne de stipendiorum aut reddituum tenuitate saepe saepius verba faciat, quo, avaritiae labe, dignitatem suam, misero in modo ac fere irreparabiliter, conficeret².

V. De rebus mere politicis, aut aliis quae ad suum ministerium minime pertinent, in divina praedicatione nec verbum quidem adsit. Haec, enim, cum sacro ministerio in Ecclesia exercendo quomodo miscere non ineptum tantum, sed et omnino indecorum censi debet, et in tribunicium suggestum sacram divini verbi immutare cathedram, fere sacrilegum.

c) Quamvis dicendi genus, pro tempore ac locorum diversitate, pro dicentis et audientium natura et indole, varium esse possit, immo et debeat, attamen nil quod ab apostolica ac evangelica simplicitate ac gravitate sit alienum praesferat. Enimvero *non in sublimitate sermonis ac in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis*³ altissimum praedicationis ministerium exercendum est. Ne hominum laudes vel plausus cieri videatur, multum sibi caveat Pastor;

¹ Trid. Sess. XXV, *De Purgatorio*.

³ I *Corinth.* II, 1; I *Timoth.* VI, 20.

² Cfr. Concil. Plen. Baltimor. II, n. 215.

quae prae oculis habere debet bona aeterna, animarum, nimirum, salus et summi Dei gloria, potiora sunt. Non, igitur, ut manus ad plausus et vocem ad laudes, sed ut oculos ad poenitentiae lacrimas, corda ad compunctionem, et animum ad emendationem moveat, Pastor satagat. Semper vero ex cordis abundantia os loquatur, ac in ore et vultu interior sese animus, religione pietateque plenus, depingat.

d) *Brevitatem* cum sermonis facilitate coniungi oportere, iure meritoque, Tridentini monuere Patres. Vix, enim, fieri potest, quin prolixitas taedium pariat, quo omnis praedicationis vis ac virtus amittitur; sermonis satietas non minus inimica auribus, quam immoderatus cibus corpori. Quapropter qui in communibus sermonibus populo habendis 20 min. attingat seu haud multum excedat, satis fecisse arbitramur.

448. — Inter concionandum, complurimis in locis eleemosynae a fidelibus sollicitantur, qua in re quanta cum prudentia agendum sit, actionis ipsa natura satis superque ostendit, et an vero qui ex ipsarum coacervata vi, de concionatoris habilitate diudicant recte sapiant, cordati viri dicant. Parochus, igitur, ille qui adeo nimium in re se haberet, et externos concionatores tam indesinenter urgeret, ut pecuniam in concionando a fidelibus sollicitaret, an prudentiae inserviat legibus haud difficile dictu. Coetera ad rem inferius.

449. — Tandem qui sint hi qui concionem ad populum habere possint debeantque dicendum, qua in re distinguendum:

a) *Communibus* in adiunctis Parochus ille qui, non legitime impeditus, saepe nimis hoc munus Coadiutoribus dimitteret, conscientiae suae profecto haud consuleret. Pastor, enim, cum sit, non exemplis tantum et operibus, sed et doctrina quoque gregem suum pascere ac enutrire adstringitur. Hoc tamen quominus et Coadiutorum in re utatur opera haud impedit, cuius rei mensuram tum prudentia, tum Coadiutoris qualitates, tum, et praesertim, loci dioecesisque consuetudines ac statuta [si quae sint] dicent,

b) *Extraordinariis* in contingentibus et alios tum e saeculari, tum e regulari selectos agmine, Parochus invitare potest [ne dicam et debet] ne fideles, consuetae voci repetitisque argumentis assueti, audienda negligant vel parvifaciant. Attamen si dioecesanos adsciscere Pastoribus concessum, extradioecesanos [Ordinarii haud accedente venia] minime licet¹. Utroque vero in adiuncto ne venenum, potiusquam

¹ S. C. C. *Civil. Castell.* 19 jun 1751; nov. 1626; *in Theanen.* 19 jun. 1728⁷
17 dec. 1763; *in Rossanen.* 2 sept. 1591; 30 april. 1729.
in Legionen. jul. 1585; *in Januen.*, 14

medicinam gregi comparent, *summa vigilantia cavendum est, ne per vanos homines ac leves, vento pascatur grex, sed ut vitali alimento roboretur per ministros verbi*¹. Quapropter qui, tum quoad personam ac operam, tum quoad ideas ac generalem agendi rationem, hi sint, antequam eos invitet, sedulo disquirat Pastor, ne secus quaedam lugenda nimis sibi suoque gregi, misero in modo, comparet². Si, enim, omnes qui Dei verbum christianis plebibus enunciant adeo in cunctis se haberent ut nil quam Eius gloriam quaerent, christiana profecto observantia multo magis floresceret! Quos, igitur [si haberi possunt] novis ac numquam satis detestabilibus novitatum ideis inservientes, per familias visitationes ac relationes adeo praeadamantes, ut solitudini, studio orationisque parum studeant, suis temporalibus commodis indulgentes, externas commoditates nimis quaerentes ac victu incontentabiles, qui seipsos, non Iesum Christum, praedicare videntur, et quoquomodo alia ratione claudicantes, non tantum ne sciscitetur Pastor, sed si sese exhiberent, comiter sed fortiter recuset. In re, enim, nimia benignitas, non comitas ac caritas, sed authentica sanctae dei plebis proditio est.

c) Concionatores omnes qui coram loci Ordinario vel ab eo delegato antimodernisticum haud praestaverint iuramentum, recipere non licet³. De re, igitur, certioretur Parochus, qui dubio manente, ad Curiam recurret.

450. — Concionatoris agendi rationem, perquam prudenter, invigilet Pastor, et si quid tum domi, tum extra, minus laudabile comperit, comiter ipsum moneat, et ad emendationem hortetur. — Si vero de religiosis ageretur, ut eorum regulis, in quantum licet, inserviant [quibus tantum vere religiose ipsi se habebunt] nullum in re obstaculum Pastor ponat, immo adeo adjumentum ferat, ut de earum neglectu praetextus haud nancisci possint. Religioso, enim, extra claustra degenti, graviora, saepe quam sacerdotibus coeteris, pericula imminet! — Ne vero mussitationi [quae in ministerii detrimentum redundaret] locus sit, in quantum circumstantiae sinunt, in commoratione, victu et similibus, erga concionatorem bene se habeat Pastor bonus, et antequam discedat eius operae eleemosynam [non vero insolubile pretium] exhibeat. *Dignus est, enim, operarius mercede sua*⁴, et hos inter et religiosi locum obtinent qui, persaepe, ut temporum nequitiae consulant, ea plus indigent.

¹ SS. D. N. Pius PP. X, *Encycl. Edita saepe*, 26 maj 1910. — Cfr. *deliberat. Episcoporum. Longobardor.* 1908, 1909, 1910: Epist. Eor. 6 jan. 1896, 15 aug. 1901, 29 jan. 1908.

² Cfr. *Mot. Proapr. Sacror. Anlistit.* cit. et document II ad calc. volumin.

³ Id. *Ibid.*

⁴ I. *Timoth.* V, 18, *Luc.* X, 7.

451. — Tandem ne sero nimis concionatores invitentur tum prudentia, tum iustitia iubent. Quapropter si de quadragesimali concione, vel de missionibus, spiritualibus exercitiis, triduanis supplicationibus ac similibus agatur, ut ante annum adsciscantur omnino oportet, ne aptis destitutus Parochus, ineptis munus tradere adigatur. Nam et hoc unum in concionatoribus cooptandis attendendum, eorum, nimirum, ad peculiare praedicationis genus inclinatio, eorumque peculiaribus pastoralibus ministeriis aptitudo: enimvero qui optimus panegyrista est, malus catechista et homiletia fieri potest, et vicissim. Si, insuper, pastoralium ac apostolicorum ministeriorum experientia concionatores careant, vel, eo magis, ea deficientes, attamen amplissime callere putant, adeo multa multosque pessumdant, ut plus quam vineae Domini cultores, eius vastatores destructoresque eos dixeris.

§ II. — De quibusdam Sacris Praedicationibus.

SUMMAE RERUM. — 452. Animadversiones praeviae. — 453. De quadragesimalibus sermonibus, et ad rem pastorales normae. — 454. Quae hoc sacro tempore Pastoribus suadenda sint. — 455. De Missionibus. — 456. Ad rem normae. — 457. De Exercitiis spiritualibus. 458. De Conferentiis quae tenenda sint. — 459. De contradictoriis. — 460. De mense mariano quoad praedicationem.

452. — Quantum varia praedicationum concionumque genera sese inter diversimode habeantur, tum ex sacra eloquentia, tum ex dictis liquet, et ne aliorum invadamus messem, de quibusdam tantum in pastorali ministerio communibus ac extraordinariis praedicationibus, quaedam magis opportuna breviter recolemus. Materna, enim, Ecclesiae in filiorum suorum omnium animabus sollicitudo tanta est, ut de communi ac consueta verbi Dei dispensatione haud contenta, interdum, tum per annum, tum rarius, ut suis spiritui necessitatibus facilius ac commodius consulere ipsi possint valeantque, aliam ipsis occasionem suppeditet. Hinc quadragesimales sermones, Spiritualia Exercitia, necnon [peculiaribus in adiunctis] Missiones, Conferentias, Contradictoria, ecc. de quibus omnibus pauca, sed quae ad rem satis, iuxta nuperrima decreta ac practica ratione, recolemus.

453. — Quoad quadragesimales sermones, quotidie vel aliquoties in hebdomada huius sacri temporis [iuxta loci consuetudines] habendos, sequentia opportuna sunt:

a) Quantum, in magnis praesertim civitatibus, et fideles inter, ad vanam pompam ac falsam fovendam pietatem, hi sermones

adhibeantur, vitam christianam noscentes magnique facientes numquam satis lugent. Saepe nimis, enim, ut hoc quoque sacro poenitentiae tempore, publicis fideles intersunt spectaculis, ita [sacra permiscendo prophanis] et quadragesimalibus adsunt sermonibus, quibus interesse exquisitoris elegantiae est. Mulieres, praesertim, proprium concionatorem eligunt, auditores ipsi adsciscunt et coeteros sophisticè versuteque detractant ac dilacerant, et, ut plurimum, non perutilem, sed a conspicua societate praeadamatum, in ideis lassum ac conscientias haud inquietantem, immo et dormienti consulentem, seligunt. Hac ratione quadragesimali tempore ad Pascha properant ac parantur, et cum ad eius exitum pervenerint, si in feria V maioris hebdomadae Sepulchrorum visitationes [elegantiae quam aestimant summulam] excipias, pro animae suae salute iam satisfecisse arbitrantur!

b) Pastores, igitur, dum licet, adeo huius agendi rationi obsistant, ut quae de quadragesimalibus sermonibus Ecclesiae mens sit fideles dignoscant, quo tantum sacra in prophana, omnino inepte, haud mutantur. Ne vero [quamvis involuntarie] et concionator ipsis indulgeat advigilabit Parochus qui, de propriis ovibus perquam sollicitus, quidquid ipsis detrimento esse potest, sedulo amovere contendit.

c) Sermones, quamvis semper elaborati et concinne parati, attamen numquam prophanam oratoriam redoleant artem. Quae politicam vel civilem rem spectant, potiusquam expresse tractanda, per transennam [dum licet] indicanda ac, si res postulat, iuxta Ecclesiae [non vero politicantium partium] mentem explicanda sunt. Si semper vero, praesertim in hoc sacro poenitentiae tempore, vaporosa atque nil conclusiva argumenta ab ecclesiastico arceantur suggestu, ut sermonibus moralibus [non autem conferentiis] et christianae vitae praeceptis ac rationibus studeatur. — Sed et alius prophanus nimis mos est, quo diei sequentis thema adeo mysteriose quidam praenunciant ut potiusquam sacros oratores, praestidigitatores ioculatoresque dixeris. Sed ad fidelium captandos animos, non ipsorum vellicanda curiositas, verum eorum intellectui ac cordi consulendum est.

d) Peculiare autem tabulatum seu contignationem *palchi, tribunes*] hinc inde ad fidelium [et peius, soluto pretio] usum, sacro in loco constituere, ac audientium acclamationes ac plausus inibi permittere adeo non Ecclesiam sed theatrum redolet, ut recte sapientes Eiusque mentem venerantes, haec omnia et similia [quae sub silentio praeterire malumus] severe damnabunt. Non, enim, [iterum monuimus] vani audientium plausus, sed eorum compunctionis quaerendae lacrimae: non ut confessionales sedes fideles delirantes conscendant, sed ut ipsarum ad ostium humiliter